

um millium tyronicorum accedit. Nos de naturali vitio loquimur, quod in disciplinæ materia & substantia hæret, quodque longe difficilius corrigitur, quam corrusiones quæ extrinsecus & per accidens evenerunt.

**CAP. XVI.**

**Responsio ad objectiones  
quasdam.**

**C**mplures tamen, nec sine auctoritate & fama viri objectiones & difficultates nobis movent, quibus respondere convenient. Alii vetus Alcibiadis dictum citant, quod Thucidides scriptum reliquit, eos homines tutissime vivere, qui suis legibus ac moribus contenti sint, quanquam sit, ubi iis contradici possit: tum quod Plato saepius ait, rem perniciosam esse, si juvenes assuecant contra leges in patria sua receptas disputare. Alii dicunt, non se ignorare vitia quæ sint in hoc genere studiorum, sed ob temporum infelicitatem de remediis desperare: estque ipsorum sententia, oportere velut gangrænam, ea relinquere intacta: Satius esse miserum hoc corpus sustentare potius, dum possit durare, quam remediis morbum ejus irritare. Cæterum libros Triboniani ob certamina

**N 4**

&